



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XLVI. Continuatur eadem materia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

## QUÆSTIO XLVI.

*Continuatur eadem Materia.*

*Vicar.* **F**itne irregularis ille, qui ob defensionem propriæ vitæ, aut ad evitandam enormem mutilationem, aut vulnus grave, injustum Invasorem occidit vel mutilat cum moderamine inculpatæ tutelæ?

*S.* Non: ut hab: in *Clemen. uni. Si furisus de homicidio* & ratio est, quia tale homicidium humano modo non est voluntarium, sed necessarium, & consequenter neq; culpabile, nam ut suppono est cum moderamine inculpatæ tutelæ.

*U.* Exprime quæso quid, vel quæ requiruntur ad inculpatam tutelam.

*S.* Requiritur *Primo*, ut occidens in ipso actu aggressionis occidat, si enim tempus intercederet cum commoditate aliter se tuendi, non esset licita occisio, non tamen est necesse expectare ictum, sed potest quis prævenire, quando

aliter non est modus resistendi aggressori, ut ex *Navarro* docet *Fillius*.  
Secundo requiritur, quod non potuerit se defendere cum minori latione aggressoris, quando enim satisfuisset mutilare vel vulnerare, & id se defendens facere potuisset si occidat est immoderata tutela. Tertiò requiritur Generaliter, ut quispiam se tuendo id solum faciat, quo alioquin omisso, iniuria repelli non poterat, unde qui insequitur suum aggressorem jam fugientem, aut desistentem à pugna eumque interficit, excedit limites inculpatae tutelae, & consequenter fit irregularis: similiter si invasus pugnis, propulsat & offendit Invasorem armis, nisi Invasor tantum haberet roboris, ut plus posset inermis, quam defendens se armatus: non obstat tamen moderamini inculpatae tutelae inaequalitas armorum secundum diversas qualitates invadentis & se defendentis.

¶ Ergo is qui praeveniendò occidit

pa-

parantem sibi infidias, seu quarentem se interficere, quemq; aliter evitare non potest irregularitatem non contrahet?

S. Non: ità *Fillius*. ex *Soto Covar.* & alijs.

U. Sed affirmabis utiq; irregularem esse illum qui potest se salvare ab Aggressore vitæ injusto fugiendo, & non fugit, verum Aggressorem interficit.

S. Affirmo, quando sine suo dedecore & magna infamia Aggressorem vitæ fugere nequit, quod enim sine magno dedecore vel infamia fieri non potest, censetur moraliter esse inevitabile; suppono autem ipsum Occisorem prius nullam aggressori intulisse injuriam, adeoque aggressionem nullatenus fuisse prævisam, item suppono quòd, quando quispiam esset causa sui dedecoris & fugere posset; non tamen fugit, nec alium modum possibilem evadendi querit, si aggressorem vitæ occidat, peccet & ir-

regularis fiat; (fit pro exemplo Ad-  
ulter in adulterio deprehensus).

Putasne fore irregularem, Occi-  
dentem Aggressorem Patris, Fratris  
aut alterius Consanguinei, aut etiam  
proximi Innocentis, aliter mortem  
suis impedire non valentem, quam  
est interfectionem Aggressoris?

Lego in *cap. Dilecto de Sen. Exco. 71.*  
6. licitum esse defendere proximum  
a iniuria, & morte inferenda, etiam  
in occasione Aggressoris; præterea  
proximus Innocens magis diligendus  
est, quam bona propria, & tamen (ut  
notat *Fillinc. Sayr.* cum alijs) ob de-  
fensionem rerum temporalium quæ  
secundum prudentum existimationem  
magis essent momenti, licet Invaso-  
rem occidere, quando aliter defensio  
ferri nequit, *ergo &c.*

Nonne charitas obligat ad præpo-  
nendum vitam proximi bonis pro-  
prijs?

Obligat utiq; quando proximus est

K k

in

in extrema necessitate, non autem  
quando est in necessitate aliqua, in  
qua se constituit ex sua propria & ini-  
qua voluntate, prout in casu, & quan-  
do non quarit auxilium modò debito.  
V. Constat ex dictis dari quoq; irregu-  
laritates, ortas ex delicto circa Sacra-  
menta.

S. Absq; dubio; patet namq; Excom-  
municatum vel suspensum &c. susci-  
pientem Ordines Sacros fieri irregula-  
rem. Smiliter certum est iterantem  
Baptismum de se loquendo ultra pec-  
catum mortale, contrahere irregula-  
ritatem ex c. *Quivis de Consecr. d. 4.*  
quod intelligendum est non tantum  
de eo qui suscipit, sed etiam de illo qui  
administrat. Dixi de se loquendo quia  
si id faceret ex ignorantia probabili  
aut invincibili facti excusaretur ab hac  
irregularitate, quia non præsuntur  
reiteratum quod nescitur esse factum;  
similiter si interveniret ignorantia ju-  
ris, quia scilicet iterans Baptismum  
igno-

...autem  
...a, in  
& ini  
quan  
ebito.  
regu  
Sarra  
...ur.

...oravit legem prohibentem talem  
...ationem ( quam tamen vix con-  
...ngere posse arbitror ) excusaretur ab  
...regularitate sicut à peccato.

Suppono non sufficere ignorantiam  
...ipsius irregularitatis quæ incur-  
...ritur.

Non, utpote quæ non est Censura,  
...sed pœna jure positivo talem culpam  
...sequens.

Ponamus casum quòd aliquis susci-  
...peret Baptismum ab Hæretico?

Fieret irregularis, & sic jus statuit  
...in odium ac detestationem Hæresis  
...quod tamen intelligo de adulto sci-  
...enter ab Hæretico baptisato ut coll: ex  
...Placuit ) & in hac irregularitate si  
...delictum sit publicum solus Papa di-  
...spensat, si occultum sit potest dispen-  
...sare Episcopus.

Quæro an rebaptizans fiat irregu-  
...laris, quando reiteratio Baptismi est  
...occulta?

S. Lego apud quosdam *Canonis*; non

Kk 2.

fic.

fieri irregularem propterea quia nullibi in jure hoc exprimitur; Dicunt itaq; quòd rebaptizans non incurrat irregularitatem, nisi actus iste reiterationis Baptismi sit publicus, hoc est, nisi publicè sciatur, illum publicè reiterâsse Baptismum, quod colligunt ex cap. Ex litterarum 2. ubi gl. de Apostat. & reiter. Bapt. (Textus enim ibi aperte dicit, quòd si Acolyti administratio facta Rebaptizanti jam baptizatum sit publica, non possit ad Superiores Ordines promoveri, si verò sit occulta, promoveri valeat, & nulla mentio fit de dispensatione) ex quo sic argumentantur: si Acolytus ministrans duntaxat publicè rebaptizanti punitur pœnâ irregularitatis, à fortiori & rebaptizans, si actus hujusmodi reiterationis sit publicus, cæterùm sicut textus disponit de Acolyto, ita & de rebaptizante, sic autem est quòd in administratione occulta Acolytus non fiat irregularis, alioquin dispensatione egeret, ergo &c.

V. Sit



Sit de hoc fatiſ ; nunc quæro an  
ando aliquis exercet Sacrum Ordi-  
nem quem non habet, ut cum quis ſo-  
lenniter cantat Evangelium cum ſtola  
& manipulo, & non eſt Diaconus, vel  
Epistolam cum manipulo, & non eſt  
Subdiaconus, vel audit Confefſiones,  
aut Miſſam celebrat, & non eſt Sacer-  
dos, contrahat irregularitatem ?  
Omninò, ut hab. c. 1. & 2. de Clerico  
non ordinato miniſtrante, in qua irregu-  
laritate Summus Pontifex diſpenſat  
quoad promotionem ad altiores Ordi-  
nes, quoad ſuſcepti verò jam Ordinis  
exercitiũ diſpenſare poteſt Epifcopus.  
U. Suppono te loqui tantũ de Ordi-  
nibus Sacris ?  
Minorum Ordinum officia ex con-  
ſuetudine etiam à Laicis exercentur ;  
non præſumat autem Clericus in Mi-  
noribus conſtitutus ex conſuetudine  
exercere aliquem Ordinem Sacrum  
ſolemniter, quem non dum ſuſcepit,  
alioquin irregularitatem contrahet, vi:

Kk3

Syl.

Sylvest. in Sum. ver. Irregularitas n. 1. 4.  
Tabien. ver. irregularitas n. 4.

V. Habebis utiq; etiam perspectas Irregularitates provenientes ex defectu lenitatis sive in Clericis sive in Laicis.  
S. Habeo & scio hanc irregularitatem contrahere, *tum* Judices ferentes sententiam Sangvinis, vel mutilationis effectu secuto, *tum* Testes in causa sangvinis (excip. coactos vel metu gravi, vel ex præcepto obligante) *tum* Advocatos in causa Sangvinis, pariter effectu secuto, *tum* Ministros Justitiæ & Executores, *tum* Assistentes in loco supplicij, si aliquo modo ad id cooperantur, secùs si nullo modo cooperentur (quàmvis peccent Clerici assistentes, nisi assistant damnato ad mortem pro salute animæ) an autem Accusator in Causa sangvinis sit irregularis effectu secuto *consu. Canon.*

V. Quid resolvis quoad Dominū temporalem qui alteri committit munus judicandi in Criminalibus?

S. Hic

Hic irregularitatem nequaquam con-  
stituit ut coll. ex cap. ult. Nè Clerici: ubi  
dicitur Clericos habentes Jurisdicti-  
onem temporalem posse & debere il-  
lam delegare sine ullo metu irregula-  
ritatis; & praxis docet Prælatos Eccle-  
siasticos habentes dominium tempo-  
rale, adeoq; Jurisdictionem in Cau-  
sa sanguinis, illam semper committere  
Personis Laicis.

U. Existimo quòd, si Bellum sit justum  
defensivum, seu necessarium pro de-  
fensione Patriæ &c. militans in illo  
non fiat irregularis ex homicidio se-  
cuto.

S. Non fit.

U. Pro complemento hujus materiæ  
quæro unde originem trahat irregula-  
ritas?

S. Lego originem trahere à Persona  
Davidis, licet enim David esset ex stir-  
pe Sacerdotali, attamen propter ho-  
miciidium exclusus fuit ab ædifican-  
do DEI templo, & ab Altaris ministe-  
rio

Kk 4

rio, ut hab. 1. Paralip. c. 28. DEUS autem dixit mihi, non aedificabis domum nomini meo, eò quòd sis Vir Bellator & sanguinem fundens; hinc Navar. in Sum. de Censur. c. 23. n. 191. Tabien. ver. irregularitas n. 2. inquit: Irregularitatem tam in veteri quàm novo Testamento secundum suam originem esse de jure positivo Divino; attamen quoad modernam observantiam, est de jure positivo Canonico ut exprimit Innocen. in e. Nisi cum pridem 10. quia nulla inducenda est irregularitas, quæ non sit in Jure Canonico expressa e. Is qui 18. de Sent. Excoim. in 6. derivatur autem irregularitas ab in quod est sine & regula: Irregularitas enim idem est ac privatio Regulæ, secundum quam debet esse promotio promovendorum ad Ordines Ecclesiasticos seu ordinandorum, & ideo Irregularis dicitur privatus Regulâ, sine Regula, vel non secundum Regulam; Et quàmvis definitio irregularitatis supra data sit optima;

nonnulli tamen *Canonis*: breviter tradunt definit: sub terminis item significantibus, *Tolet.* namque in *lib. 1. c. 57.* dicit quòd sit *inhabilitas Canonica Ordines suscipiendi, & susceptos exercendi à solo jure proveniens.* similiter *Sylvest. ver. irregul.* inquit, quòd sit *Nota & impedimentum Canonici ex facto seu defectu proveniens, quo is prohibetur ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & in iisdem ministrare.*

### QUÆSTIO XLVII.

De Ministro Sacrament. Penitentia.

**D**ices utiq; quòd solus Sacerdos sit Minister Sacramentalis absolutionis.

S. Dico, conformiter ad definit: *Concil. Constant. in Bulla Martini V. Florent. & Trident. Sess. 14. can. 10.* ubi anathematizat dicentes, non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis.

U. Sed unde colligitur hæc fidei veritas?

Kk §

S. Spe.